



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

De Materia, & Priuatione. Cap. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

tunc non loquebatur de contrarietate terminorum generationis, de qua loquebatur Arist. nam de huiusmodi contrarietate loquitur in Phædone; & eam non ponit pro materia, sed pro terminis generationis: ideo culpandus iure videtur Aristot. qui contrarietatem terminorum generationis sumpsit ex Phædone Platonis; mox Platonem, quasi secus sentientem, carpit, & reprehendit. Ad tertium, quia Plato despicit priuationem; respondeo, quomodo se habeat priuatio ad materiam, in sequentibus apparebit: Priuatio proculdubio inter principia intrinsecus rem constituentia numerari non debet; ideo in Philebo, & in Timæo Plato eam neglexit: Quod ea sit terminus, à quo generationis, in Phædone manifestauit; ubi terminos generationis statuit cōtrarios. Quare colligo, de numero principiorum internorum litem solū esse in verbis.

De Materia & Priuatione.

CAP. VIII.

AM doctè & accuratè Plato in Timæo naturam, & conditionem materiæ explicauit, vt animus rectè dispositus nil vltra valeat expetere. Accomodatissimè enim asseruit; eam esse locum, qui nunquam interit; sed omnibus, quæ fiunt, sedem exhibet: esse sinum omni dispositione, & forma denudatum; vt omnes recipere valeat. Et quoniam omnino est potestate, solū

solūm respicit aliud; & eius natura infinita penitus est, solūm maximè nata terminari ab alio: ideo, vt eius interminata, infinita que natura manifestaretur; vocibus infinitatem præferentibus est circumscripta: & nuncupata est magnum, & paruum; hoc est, indefinitū quoddam, natum cū angustis, tum latis terminis circumscribi. Iure etiam duabus vocibus, hoc est, binario, designata est; vt Pythagorę sententia explicaretur, qui numerum parem, numerumque binarium conuenire materiæ existimauit; & iure quidem: nam, vt binarium est initium multitudinis, & diuisionis (statim enim cū ab vnitāte recedimus, in binarium labimur) ita materia cum quantitate, multitudinis, & diuisionis est origo. Insuper, vt numeri impares vnā iuncti, eandem semper constituunt numeri figuram, quadratam scilicet; numeri verò pares, semper diuersam: ita materia, quasi numerus par, distinctionis, & multitudinis est mater. Demum magnum, & paruum, optimè circumscribunt, nedum naturās sed etiam interminatas dimensiones, que materiam semper comitatur. Præterea, quoniam vniuersa latitudo eius, quod est, consideratur in formis, vel vmbriis earum; & quoniam materia est infra hanc latitudinem, & solūm vmbriarum est capax; ideo iurè verè non ens, infra ens, & exemplar diuinitatis expers, nuncupatur. At non propterea est nihil; adeò, vt, que ex materia fiunt, absolutè ex nihilo fieri; & ex

nihilo, tanquam ex parte cōstare dicantur: est enim non ens, quia est infra latitudinem formæ; attamē est locus, & vehiculum umbrarū. Perpendamus, an iure Plato ab Aristot. reprehendatur, vt pertinet ad conditionem materiæ: nam in quinque ab Aristot. carpi videtur. Primò carpitur in 4. Phys. quia materiam existimauerit esse locum: secundò carpitur in primo Phys. quòd materiam dixerit esse non ens: tertio, quòd eādem statuerit cum priuatione: quartò, quòd eā asseruerit esse contrarietate: postremò, quia Arist. asserit materiam malam, & fœminam ex euentu, & ratione priuationis: Plato verò per se, cū materiam à priuatione non seiunxerit. At facile est ab huiusmodi calumniis vindicare Platonem. Ad primum dico, materiam esse locum, non corporum, neque rationum, siue idearum; sed formarum, siue participationis earum; nam multiplex est locus: Materia est locus metaphoricè, vt ab eodem Arist. in 3. de anima cont. 6. intellectus dicitur locus formarum intelligibilium. Ad secundam obiectionem patet solutio ex dictis: iam enim explicauimus, quomodo materia à Platone non ens nuncupetur. Ad tertium, dum ei obiicit Arist. quia priuationem à materia nō seiunxerit; Plotinus pugnans pro Platone asserit, re vera materiam à priuatione nō seiungi: non enim seiungitur subiecto, vt idem Aristot. fatetur; non ratione, quia non distincta vtriusque est ratio; sed vnum per alterum defini.

finitur. At si rem accuratè perpendimus, nec Arist. rectè carpit Platonem, nec Plotinus rectè eum defendit. Primò Arist. non rectè carpit; quoniam Plato materiam, & priuationem, non rem eandem existimauit: sed in Phædone manifestàs, omne, quod fit, ex contrario fieri, rectè indicauit priuationem esse terminum à quo, non autem subiectum generationis. Insuper in Timæo, cùm dixerit, materiam esse locum, qui nunquam interit, & esse denudatam omni forma; rectè manifestauit materiã à priuatione distingui: nam priuatio interit in aduentu formæ; & non dicitur denudata, & priuata, nouit itaque Plato, materiam esse quid distinctum à priuatione. Quod manifestissimè colligo ex dialogo, qui Lysis, siue de amicitia inscribitur: vbi manifestans, quæ requiruntur ad appetitionem, ostendit ea esse trias scilicet appetibile, vt bonum; appetens; & oppositum appetibilis: & manifestat, non oppositum appetere suum oppositum: sed subiectum, quod neutrum est, occasione vnius oppositi in eo existentis, appetere alterum. Ex quo patet, Platonem seiunxisse priuationem oppositam formæ à materia; & materiæ assignasse non quale, siue negationem. Plotinus, qui pro Platone disputans, nititur ostendere materiam à priuatione nõ distingui ratione, etiam minùs rectè sentire videtur: quamuis enim in definitione vnius alterum accipiatur, non propterea definitione sunt

idem, cum vtriusque assignetur diuersa definitio. Priuatio enim est absentia formæ in materia, cum facultate ad eam recipiendam; materia verò est subiectum non habens formam, & natum eam recipere. Errauit Plotinus, quia non distinxit negationem à priuatione; nec rectè nouit, quæ sit ea priuatio, quæ ab Arist. inter principia ponitur. Ideò cum Plato dixerit in *Lyside*, non quale appetere quale; & in *Timæo* asseruerit, materiam sine sensu tangentis tangi; hoc est, per negationem cognosci, & de ea negationes esse veras; Plotinus loco priuationis considerata ab Arist. negationem, & non quale considerauit; quæ negatio, non est quidem essentia materiæ, sed de ea verè dicitur: verè enim materia non est ex sui natura homo, non est cælum, non formata; at non propter eam est ipsa negatio; sed est id, de quo negatio verè dicitur: non autem priuatio ita se habet; priuatio enim non verè dicitur de natura materiæ: nam materia non est ex sui natura alba, non autem ex sui natura est priuata albedine; quoniam si ex sui natura esset priuata albedine, non posset eius natura cum albedine conseruari. Seiunxit itaque Plato materiam à priuatione; solum dixit, de materia, ex sui natura, veram esse negationem; vt etiam Themistius, & Alexander ex sententia Arist. rectè explicarunt. Ad quartam obiectionem, quia Plato sumpsit contrarietatem pro subiecto: Respondeo, eum non sumpsisse pro subiecto contrarietatem
termi.

terminorum, de qua loquebatur tunc Aristot. sed solum subiectum designasse per voces indicantes naturam, & conditionem quandam infinitam, & interminatam. Ad postremam instantiam, quia Plato materiam dixit per se malam, & expetere contrarium, patet solutio: nam Plato materiam à priuatione seiunxit; ideò non asseruit eam esse per se malam, quia sit priuatio; sed solum esse per se malam cum negatione; quoniam de eius natura, vera est negatio. Immo Plato in Lyside cumulatissime id declarauit, quod mox Aristot. in primo Physicor. 81. breuissime ex propria sententia profert: declarauit namque Plato, non malum appetere bonum; sed id, quod neutrum est, ob mali sensum, appetere bonum, tanquam medelam. Sed de hoc infra latiùs agam; dum considerabo, an materia sit bona, vel mala.

Quomodo Materia cognoscatur.

CAP. IX.



Quoniam Materia, Diuinitatis est expers, propria idea est destituta; & solum aliud est, siue infinitudo, aliteritas, & locus capax imaginis idearum: propterea per se intelligi nata non est; sed quemadmodum ceteros actus, ita actum cognitionis aliunde recipit. Cognoscitur primò materia per negationem; & iure quidem, cum de ea veræ sint negationes, vt patuit. Huc cognitionis modum manifestauit Plato in Ti-

R